



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Inqvisitio IV. De presbytero, vel diacono, qui filiam suam virginem illi viro
in coniugium dederit, qui iam habebat coniunctam mulierem, ex qua
etiam filios susceperat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

res, licite & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos peruenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat spiritale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere; quo & salua sit caritas connubiorum, & cessent opera nuptiarum.

INQUISITIO IV.

De presbytero, vel diacono, qui filiam suam virginem illi viro in coniugium dederit, qui iam habebat coniunctam mulierem, ex qua etiam filios susceperat.

RESPONSIO.

32. q. 2. Non
omnis mu-
lier.

Non omnis mulier viro iuncta vxor est viri, quia nec omnis filius heres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales; multo prius hoc ipsum Domino constituyente, quam initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus, ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahamæ: *Eiice ancillam & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Vnde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi & ecclesiæ sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci clericus si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit; nisi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honestata videatur.

Gen. 21.

27. q. 2. Cū
societas.

INQUISITIO V.

De puellis quæ viris concubinas habentibus nupsierint.

RESPONSIO.

32. q. 2. Non
omnis.

Paterno arbitrio viri iunctæ carent culpa, si mulieres, quæ a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt: quia aliud est nupta, aliud concubina.